



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Annvæ Literæ Provinciæ Aqvitaniæ Societatis Iesv Anni 1606.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69662](#)

# ANNVÆ LITERÆ PROVINCIÆ AQVITANIAE

Anni 1606.

Ocios omnino trecenos vno minus & altero, vndenis sedibus distributos precepit hic annus numerauit. In Burdigalensi collegio septuaginta tres: in ijs septem supra viginti sacerdotes, è quibus duo subtiliorem illam Theologiam, tertius sacras literas, quartus quæstiones de iure conscientiæ, tres Philosophica, unus Mathematica, Græcam alius linguam profitentur. Sex è magistris humanioribus studijs iuuentutem imbuunt. Seni ac deni Theologicum, deni quaterni Philosophicum stadium excurrunt. Reliqui domestici operis administrati. In Tolosano, vno minus quinquageni. Ex his vnde viceni Sacerdotes, è quorum numero duo Scholasticam Theologiam, alias causas ad conscientiam pertinentes, duo Philosophiam, Græcam eloquentiam unus docet. Ex ijs qui Sacerdotes non sunt, suauioribus Musis illustrandis sex nauant operam. Duo conscientiæ casibus ediscendis, vnde dicim Philosophiæ studijs occupantur. Cœteri familiariis negotij adiutores. In Muriacensi collegio septeni, Sacerdotes quatuor, quorum unus cū duobus Fratribus, minorib. disciplinis pueros instruit. Reliquo est unicº Coadiutor. In Ruthenensi, viginti. Sacerdotes octo. E Professorib. unus Philosophiæ, humaniorib. literis quinq; in uigilat, Scholaris unus

Y 4      è diu-

è diutino morbo conualescens, quinque operum adiutores. In Auscitano, vnde viginti. Sacerdotes septem, è quibus unus Philosophiæ præest, Humanitatis magistri quinque. Veteranus magister à valitudine nondum integer. Cœteri rem curant familiarem. In Aginnensi sedecim, Sacerdotes septem, è quibus unus Philosophiâ; Magistri quinque, humioribus artibus adolescentes erudiunt, quatuor rem domesticam administrant. In Petrochoreni unus ultra viginti, Sacerdotes nouem, quorum unus Philosophiam docet, Humanitatis Professores quinque. Auditores Rheticæ duo, quinq; Adiutores. In Lemouicensi bini ac viceni. Sacerdotes octo, mansuetoris doctrinæ magistri quinque, discipuli Rheticæ quatuor, quinque laborum administranti. In Cadurcensi sedecim, Sacerdotes septem: mœnioribus literis præfecti quinque, Domesticis ministerijs intenti quatuor. In Residentia Pistauiensi sex: Sacerdotes quatuor, adiutores duo. In Domo Probationis Tolosanâ quadraginta nouem. Sacerdotes quatuor: quorum duo tertium Probationis annum peragunt, Duo fratres Veterani. Cœteri Nouitij. In Societatem admissi qui in atriceni, iacturam duorum qui iam vixere, affatim resarserunt.

C O L L E G I V M B V R -  
digalense.

**I**Terum hoc anno ineunte Augusto grassabundus pestilentiae morbus Scholas occlusit. Cœteris alio atq; aliò diffluentibus, substitere domi quatuor decim,

decim, & Burdigalensib. fuere auxilio pariter ac cō-  
filio, quā confessiones excipiendo, quā quōt Do-  
minicis conciones habendo: nullus tamen eorum,  
quæ Deo sint gratiæ, pestilentem afflatum hausit.  
Nihilo sane minorem diuini numinis præsentiam  
experti , qui eluso Burdigalensi periculo in oppi-  
dum quod à S. Macario nomen habet, numero plu-  
rimi euolarant: In illud enim cum ferale contagium  
irrep̄isset eo plane temporis, quo vindemiæ in ma-  
nibus, atque adeo decumanam sortem ad centum  
ferme capita colligentibus Operis nostri præcessent,  
Deo duce & auspice factum est, vt à tabo & lue il-  
læsi omnes illibatique permanerint. Obiit omnino  
vnus febre nunquam remittente correptus, P. Ray-  
mondus Verderius, qui exactis in Societate annis  
tribus vltra viginti, cum & Minister annis pluribus,  
& Procurator, Magisterque Nouitiorum plusculis  
extitisset, ac diu in Macariensi oppido res Prioratus  
nostrī curasset, magno relicto sui desiderio in me-  
liorem cœli familiam cooptandus ereptus est suis,  
Vir vere pius , & singulari prorsus animi demis-  
sione eximius : ita comis ac benignus , omnes  
vteum cum domestici , tum extrarij Bonum Pa-  
trem vulgo appellarent, funus ipsius quasi commu-  
nis parentis oppidani mœsti atque atrati prosequu-  
ti sunt, non plebeij modo, sed totius loci capita,  
Magistratus , Iudex , Sacerdotes externi , qui  
etiam pro Defunctis fundi solitas exequiales pre-  
ces solenni pompa non sine lachrymis ei decanta-  
runt.

Pater iste ex suo solenni de nostrorum salute mi-  
re anxius ac solitus , ingruente iam lue , &

Y 5 minimo

minimo minus adoriēte, cernuuus in faciem, genib.  
prouolutus, ardentī & humili cordis affectu diui-  
næ clementiæ supplicauerat, vt quod cœteros no-  
stros maneret exitium, in suum vnius caput con-  
uersum ferret, dixit, ægrotauit, obijt, reliquis nihil  
peius affectis, quam pio Patris desiderio.

Quidam truculentæ, aiebat, aspectu belluæ ter-  
reri solitus, & sanguineis maculis toto corpore fa-  
dari, nonnunquam etiam sensuum usu destitui, in-  
terdum oppresso per vim gutture tantum non suf-  
focari, quidquid contra parentes & amici conaren-  
tur, purgata ritè conscientia, affixisque doméstico  
parieti paschalis (vt vocant) cerei orbiculis, omni  
prosperus molestia & angore liberatus est.

Hæreticus eò usque obstinatus, vt de capite mal-  
let quām de hæresi dimicare, concionatoris tamen  
nostrī & oratione, & ratione convictus manum de-  
dit. Triginta alij partim Caluinum, partim Luthe-  
rum eiurarunt. In his Anglus iuuenis perspicacis  
ingenij, qui cum in officina patris, ubi varij co-  
dices boni, mali, promerciales prostatabant, promi-  
scue, vt fit, hos & illos reuolueret, incidit in Catho-  
licos authores, quorum lectione blande pellectus  
veræ religionis amore sensim tangi cœpit, & verò  
vt eam libere profiteretur, relicto lare doméstico,  
insalutatis parentibus, patrio solo valere iusso,  
Burdegalam quām mox appulit, tam mox apud  
nos veniens, voti cōpos euasit, iamque tum  
pietatis, tum doctrinæ egregium sanè præbet do-  
cumentum.

Adolescens ingenuus, sed à puero hæreticus  
nobis

nobis se tamen superioribus annis, vbi primum ludum aperuissimus, ignaris parentibus informandum tradiderat, is simul audit Magistrum, ipso primo sabbato ab ingressu de re Christiana pro more nostro differentem, subito in lachrymas ire cœpit, magoque veræ religionis amore vehementius rapi, cum vero sub finem Catecheseos discipulis ijs, qui nondum sacræ Synaxeos participes extitissent, Magister moram indixisset, sistit se iste licet grandior mediis in grege puerorum, mox rogatus cur tantam Dei munificentiam in id ætatis distulisset, oculis fungens vice linguæ, inflatum erupit cum singultu: cumque vrgeretur, quorsum illæ lachrymæ? an non res digna omni lachryma, subdit ipse, tamdiu veræ religionis experitem tanto Dei munere, quātum est quod dicitis, misere caruisse? nam, vt fatear quod res est, hæreticus ego, è parentibus hæreticis: imo equidem non amplius hæreticus, sed iuuante Deo, cum primum licuerit, ex animo & bona fide Catholicus. Edictus synceram fidem post dies aliquot hæresim abiurauit. Hæc quamquam in præsentem annum non inciderint, altius tamen repeterelibuit, quòd annuas superiores, nescio quo fato, res effugerit. Idem porrò pius adolescens hoc demum anno in patrium solum à parentibus, qui iam eum ad nos itare acceperant, accersitus, nihil potius habuit, quam vt bene paratus à spiritualibus armis, & suam fidem propugnaret, & illorum perfidiam acrius impugnaret, pergit ergo fretus fiducia retrahendæ familiæ à naufragio: domum appellit nocte intempesta, eo forte

eo fortè die, quo carnium esus Christianis legibus  
interdicitur : has ei cum Pater præteriorum non  
plenè conscius per aduentorias delicias propinatet,  
hesternas ille causari, ac subrancidas : iubet Pater  
recentes: ille queri stomachum ex labore, melius  
sapere ad suum palatum bellaria quædam leuioris  
faliuæ : hic nescio quid odoratus homo suspicax,  
subamarè, tuam tibi scilicet, inquit, si hæc gusta-  
ueris , virgis vrent pelliculam præclari illi, tui Iesui-  
tæ, bellè mones, mi pater, ait hic iuuenis , per risum  
& iocum , præclare mecum agitur, quod monitu  
tuo re adhuc integra temporique meminerim.  
Proximo die de iussu patris vocatus minister ado-  
lescentis constantiam quaqua versum agitat, nihil  
tamen magis peragit, quam si nihil ageret , præstò  
sunt duo de consanguineis vir, & vxor, qui partim  
argutijs , partim illicijs , & blandimentis adoles-  
centem irretiant : at enim ille declinato vulnere  
suos istos gloriosos milites adeo versat in omnem  
angulum , vt redacti ad incitas vterque coniux,  
nihil proprius habuerint, quam secum inuicem iam  
relichto cognato pugnam ciere ; eoque demum in-  
ter ambos & coniuges & hæreticos altercando  
ventum est , vt vir vxoris audaciæ , quippe quæ  
lauream suis sibi clamoribus spopondisset , non  
amplius patiens, mutato medio , formaque sylo-  
gisni directa in FERIO, à verbis ad verbera coactus  
ierit , & quamquam eiulanti muliebriter impacto  
pugno caput abundè commitigarit , quid moror?  
patrem inter & filum pugnatum tamdiu, dum v-  
trinque spes fuit alterum conuertendi , alterum  
præuertendi : Sed cum ille tandem hæresim suam  
à con-

à constante filio pilam fieri ludumque haberi liquido perspiceret, exturbatum ædibus procul exultum ire iubet, abibat ergo generosus exul, cum ecce bene multi pueri petulantius effusi facto grege quasi grues ingruunt, clamoribus, sibilis, saxis vsque vsque impetunt, dum longius ab urbe ventum fuisset, hic demum Catholici plus quinquageni se agunt celeriter, & dissipata nube puerorum, solantur ac roborant quoquo possunt modo eum Christi militem, qui sibi solatio hanc procellam verteret, & inde robustior esse inciperet, vnde cœteri fractum iri putassent: deductum igitur ad tertium aut quartum vsque lapidem, Burdegalam inde properantem Deo & Cœlitibus commendarunt: quo ubi primum à reimparatus peruenisset ( ecce oculus Dei ) à viro & honorato & pio Matricis Ecclesiæ Archidiacono hospitio excipitur, à quo ut filius amantissime alitur, ac fouetur.

Proiectoris ætatis viri septem cum hæreseos labi infecti essent, neque dum, licet Catholicos simularent, Sacerdoti vñquam de iussu Christi & Ecclesiæ animæ vulnera detexissent, rati nimirum id inane fore, & periculosa plenum alex, nostro tamen Sacramenti huius necessitatem pro sugestu acriter valideque probante, illi etiam haud difficulter verbis & factis approbarunt. Aucta sacra supellex nouo sanctuario, adeo fabrè industrieque laborato, vt in simili genere tersius nihil & elegantius fortasse videat Aquitania. Aquæ lustralis, cui Peruanæ Crucis frustillum immersum fuisset, pellendis febris vis eluxit.

Maca-

Macarienses oppidani panegyricis aliquot Beatae Virginis aurea uida deuoratis, eius se fidei & obsequio communibus votis obstrinxere: signo esse volunt, præter alia amplissimam iconem quam de pingendam curarunt, qua Diuus ipse Macarius loci patronus Deiparæ virginis cum incolis oppidum supplex deuouet.

C O L L E G I V M T O L O-  
sanum.

**D**iscipulorum hoc anno recensus mille quadringentorum capitum numerum supergressus est. Sodali morituro post conscientiæ labes Sacramento elutas, & viaticum obeundo itineri quo itur ad cœlum, multa cum lachryma rite susceptum, augustissima sese Christi domini species videndam præbuit; ille nouum hospitem languidulis & intermortuis vocibus compellare: Quid me vis Christe? Si quem hinc ad te accitum expetis, me me adsum qui cupio, me me adsum qui flagito, cape me, atque inter has supremas voces, an suspiria, innocentem animum itiuenis exhalauit. Alius de eodem numero febri æstuans, lustrali vnda, cui noster Sacerdos Thomæ Crucis particulam immerserat, magna cum fide ac fiducia plusculum epota, è vestigio restinxit ardorem. Puella item eodem igne penè absumpta, eodem haustu recreata est. In Principe D. Virginis Sodalitio pia liberalitate facta est sacræ supellectili aulæorum perelegantium accessio, quæ ipsis etiam acu pictis imaginibus pietatem spirent.

Hæretici quinque ac viginti aut ad fidem tradi-

cti,

ducti, aut, quia desciuerat, reducti; In quibus deser-  
to: vñus ad suā familiā redire iussus, salutē se nostris  
proximè à Deo acceptā referre luculéter cōproba-  
uit. Nonnulli à præstigiatorum & Ariolorum ten-  
dicularis expediti: de quorum numero fuit qui spe  
thesauri certoloco defossi, (sic enim in audierat.)  
Magum consuleret, de cuius consilio cum sinistros  
Genios in opem ciendos cogitaret, seque iam ac-  
cingeret ad congressum: Ecce intempesta nocte se-  
cundum quietem horrifica species Cacodæmonis,  
qui minatum plenus, & anhelans sanguinem som-  
niatorem illum adeo terrefecit, ut & euigilans ple-  
nus stuporis cohorrueit, & toto deinceps tri-  
duo incredibilem in modum totis artubus trepi-  
darit. Sed fœlix tremor qui meliori proposito  
principium feceris! Alium vna scelerum expia-  
tio velut præsentissimum apotropæum à noctur-  
nis strigibus ac fœdissimis spectris vindicauit. Ma-  
gicilibri, & execranda illa cum Dæmone fœde-  
ra igni tradita, Quidam lethali accepto vulnere,  
depositæ deplorataque salutis Medicis habeba-  
tur, sed peracta noctiarum expiatione, & voto  
Diuæ Deiparæ Sodalitatis principi nuncupato,  
mox meliusculus esse cœpit, ac demum de-  
cretoriā illam & peremptoriā pœnam eua-  
sit. Vir nobilis æque ac nummatus Societatem  
olim expetiuerat adolescens, is ægritudine ma-  
le actus, magnis identidem clamoribus af-  
firmabat, nimium quantum pœnitere se,  
qui male cautus id ætatis diuino Spiritui restitus-  
set; Beati Patris Nostri Ignati, quas exora-  
rat, reliquias sèpius osculatus, holoserica fascia  
inuo-

inuolutas religauit ad brachium , eiusque imaginem prope lectum affixam iucundo animi sensu diu diuque irretortis oculis blande intuitus , postmodò eius se opera pristinæ restitutum valetudini constantissime asseuerauit : nec verbo defuit fides, idem pòst paulò memor beneficij centenos aureos nummos quasi in fostrum Probationis Domui numerauit.

Religiosa virgo non minus ingenij virtutum que ornamenti, quam generis claritate eximia, neglectu vindicandæ atque excitandæ veteris disciplinæ , quæ in suo cœnobio propedium exulerat , immensum appetens, cum uno de nostris communicauit consilia ; sed quid ageret cum pauculis Sororibus fœmina , alijs præsertim quasi composito reluctantibus ? Quamobrem pertæsa illarum peruicaciam , & simul iusto dolori suo impar , incidit in morbum ; ad quam ubinoster Sacerdos magnopere flagitatus expianda nimæ accurritset , illa palam & contenta voce circumstantibus lectulum virginibus , toto animi nisu, vererise, ait, vt Deum, Diuosque haberet iratos , acerrimis pungi ac discruciaris conscientia stimulis , quæ in illo regularum silentio , & situ obseruantiaque veteris intermissione vitam vixisset. Hæc alia atque alia tanto doloris sensu , tamque flebili voce pronunciauit , vt lachrymas expresserit vel inuitis ; Solatus ægram noster bono esse animo iussit : tres ipsos menses decubuit , tam saeuis doloribus exercita, vt tamdiu vixisse proprius miraculum habeatur: Voluit quippe numen seruulæ exemplis, alloquijs, fletibus

&amp; fit-

& firmare propositis socias , & repugnantes erudire: de quarum numero vna vetula inolitæ licentiæ & laxitatis nimis quam pertinax, nocturnorum terrore somniorum , & minacibus idolis consternata , adeo contubernales exterruit , vt facta sit non leuis morum mutatio. Ex ijs iuuibus qui ad nos itant inuentus vnus , qui mortifero ictu saucijs adduci moribundus numquam potuerit, vt vel tenui indicio proderet auctorem necis.

### COLLEGIVM MAV. riacense.

**A**Vditores aliquot supra quingentos hoc altero anno recensuimus. Vir nobilis liberalibus artibus non leuiter tintus, ab Hærefoes tenebris ad Euangelij lucem nostrorum opera reuocatus , Catholicæ fidei fortiter propugnandæ innumeris tum erga subditos, tū erga nos ipsos charitatis exemplis egregiam sane nauat operam : & qui antea imaginibus, & religiosis ceremonijs atrocissimum bellum indixisset, is iam id genus sacra supra quam credi possit , toto corpore & animo sanctè veneratur, qua tam fœlici mutatione vix cogitares, quanto primariam nobilitatem, plebem infimam, & ultra cœteros propriam gentem ac familiam gaudio perfuderit. Hic nostros , quorum opera in Sacramentorum administratione frequens vtitur, sèpius ad se vocat, peripetas mate in facelli ornatum , atque optimis voluminibus in librorum supellecti- lem non semel donatos.

Mulier, et si non adeo locuples , aureos centum  
Z nobis

nobis impertivit, nec illud Christiana humilitate compulsa ullius in aurem venire voluit. Nobilis fœminæ pia liberalitate nostrorum vībus destinata summa, vnde septendecim supra ducenos numeri aurei in annuos redditus nobis emergunt. Nec silentio premenda videtur superioris Aruernie, nobilium præsertim atque adeò Hæreticorum in Societatem vniuersam benevolentia: Omnes enim communi consensu, si modo Rex pijs ipsorum votis indulserit, librarum decem milla ad absolvitam Collegij nostri instaurationē libentissime spōdere.

COLLEGIVM R V.  
thenense.

**S**CHolarum alumnos annus præsens ducentorum accessu auctiores vidit, adeoque sane perfectum est, vt ultra nongentesimum auditorie rit: de quo toto grege eximius unus, cui Societate Deus indulsit.

Ab obseceno & lutulento cœno Calvinianæ hæreſeos quinque emersere, atque inter alios insignis miles, qui sub illis vexillis, impietate & armis diu meruerat. Nec vero tacendus viri Nobilis exitus, is cum totius vitæ maculas absterrisset, & sacræ Synaxeos factus esset particeps, postridie eius diei à valetudine male habens decubuit, toto que illo tempore quo curi morbo luctaretur, inpietatem ardentior, ad ultimum se agonem magna animi cum fortitudine, tūm demissione accinxit, affinesque & alios viros nobiles, qui se eò fliterant

exaffe-

ex affectu , ex suo casu grauiter affectos & solabatur ipse egregie, & ad meliorem vitæ rationem in eundam pio conatu adhortabatur; ac denique, cum se angelicos coetus qui cœlo ducerent , agmine facto coram videre protestaretur , spiritum exhalauit suauissime , iam tamen aliquod aureorum millibus in alias Religiosorum familias , & piis usus pauperum testamento legatis.

COLLEGIVM AVSCI-  
tanum.

**V**NUS dierum & laborum plenus domestici munieris administer , fœliciter fato functus , vir quidem & candidus & egregie pius. E sodalibus Parthenijs duo Societati nomen dedere. Vnus ad Capucinos transiit. Nostri concionatoris hortatu , honestorum virorum quos pœnitentes indigitant , instituta Sodalitas , quæ nocte proxima à Cœna Domini , stupente vniuersa ciuitate , per solennem supplicationem longis ire ord inibus ante visa est , quam nata omnino crederetur: ea vero deinceps numerosior facta scellum in vrbe , tertio post mense , excitauit , in quo solita pietatis officia magno animi fructu & alacritate obœunt Sodales , qui & Societatem parentem agnoscere , ac prædicare non cessant. Totius Præfecturæ plebs concenturiata & coacta in globum in nouum magistratum & exconsules acrius extaserat , quos & ageret repetundarum , questas superioribus bellis à potentioribus expilatam : Illi contra ire inficias , mirari , rationem pecuniaæ

bellicæ cum ipso bello sepultam dicere : Intercessos de populo in vincula rapere , alios alijs modis acerbe mulctare . Quid plura ? cum aliquot annos in ea ciuili concertatione posuissent , eo denique ventum erat , vt vrbe in duas partes diuisa , timeretur ne nocte quadam intempesta armatum vulgus grauius aliquid in primores vrbis moliretur ; & causa interim apud Iudices summa animi contentionе disceptabatur , cum incendium illud , quod reprimere multi frustratentassent , nouissime ab eodem Sacerdote nostro felici exitu consopitum est . Vir aliquis non minus à vitijs quam à diuitijs copiosus , dum in carcere sententiam sustinet , in tertianam incidit , eum ægrotantem invisit unus è nostris , à quo monitus quamprimum abijceret sarcinam peccatorum , non mea deo premit morbus , ait , noui vires corporis mei noui animi : atenim amabo , subdit noster , attende quid mihi Deus suggestat , fore nimurum , nisi me audis , vt absque Sacramento pecudis more decedens , rigidum Dei iudicium subeas impatus , quid moror ? altera nocte repente moritur , cum que de confessione moneretur , abnuens capite , & conuersus ad parietem magno terrore circumstantium euomuit animam in æterna supplicia punto temporis ruituram . Contraxerat morbum periculosum & grauem concionator noster , peractis igitur ineunte Pascha concionibus , ad aquas calidas , quæ sunt in saltibus Pyrenæis , de prescripto Medicorum balneatum iuerat : ad eum locum cū valetudinis causa , magnus nobilium aliorumque virorum vnde concursus factus esset ,

ad

ad eos noster concionem habuit nascente occasione, quæ sic habet.

Pomeridianis horis, ut tempus fallerent, hastiludo se nobiles exercebant, orta, ut fit, inter duos grauiore rixa, cessatum quidem à ludo, sed non cessatum ab odio, vnde mox omnes stomachum crumpentes, pugnæ prænunciam alter alteri schedam destinant, qua commodo loco ad tertium milliare designato, se vterque sistere quam citissime iubebantur: dictum factum, nocte concubia subducunt se ambo clanculo & quasi furtim, ac bene ante lucem anhelo cursu præsignatum in locum male sani perueniunt. Et vero, ut erant efferati in rabiem, & cruoris audi, cœptam è vestigio peregrissent tragœdiam, ni communes amici & consanguinei in rem peruigiles, celeri cursu consequuti malum hoc imminens fausto conatu disturbassent: hinc ergo quæ vi, quæ prece, tandem abrepti, de consilio nostri in templum ad sacrum ab amicis ducuntur. Erat forte Dominicus dies, eò igitur loci de duellorum immanitate & eorum supplicijs, iure diuino, humanoque irrogandis tam acriter & appositè Sacerdos differuit, vt qui prius animos gessissent hostiles, posita omni ferocitate statim mitescerent, & ad concordiam seriò redirent.

Digressus inde cum ad aliud oppidum Bigorensis prouinciae deuenisset, rogatur ab aliquo Hæreticis Biernensis per viros Catholicos, ut eos concione dignaretur, optare se scilicet Iesuitam audire, quod hominum genus crebris inter concionandum maledictis Ministri sui tam ardenter

Z 3      exagi-

exagitent: Recipiebant insuper se Ministrum qui aderat in concionem adducturos: spondet noster, & ecce continuo vagus rumor spargitur, Iesuitam cum Ministello congressurum. Conuolant Catholici plus mille, trecenti Hæreticum Ministro, præsto est noster, & magna animi contentione præcipuas de controuersa religione quæstiones sic delucidè explanat, nullus ut non videret Hæretorum falsissima dogmata, Catholicorum verissima, concione dimissa, rubore plenus Minister sese agit in pedes fugitiuus, & quamquam à suis vrgeretur in stadium, euinci tamen nunquam potuit strix umbratica, ut solem auderet: ex eo mirum in modum corroborati Catholici, Hæretici contra infirmati, ut vel inuiti palam dictarent, si duo tales Iesuitæ in suam prouinciam mitterentur, exemplò Biernenses omnes ad Romanam Ecclesiam accessuros: quod cum iam animo sex ministella præsentisceret, ab indigenis illis, quippe qui penè omnes hæresis labe infecti sint, facile impetravit, ut in publico totius Proutiæ consellu nostri regionis illius aditu nominatim prohiberentur. Hæc ibi. Pacatum est alibi oppidum odijs ante & discordijs infame, ut in quo Curio cum Consilibus, cum Curione reliqui Sacerdotes, Plebs cum magistratibus, priuati cum priuatis, &c. ut verbo dicam, omnes cum omnibus grauiter dissident: ibi noster ipso Beati Ioannis Baptistæ eorum Patroni natali die, habita prius concione, omnium animos primò demulsit, quos deinde singulos domesticatim inuisit, ac postremò in hospitium suum

siuum conuocatos , triduo toto ita mitigauit,  
vt sponte veteres inimicitias litesque compone-  
rent.

### COLLEGIVM AGIN- nense.

**N**O&e quadam intempesta sacrarium excre-  
matis ibi linteolis ignem ita cōceperat, vt ab  
incendio non procul abesset, sed dum dor-  
miunt nostri , vigilat Deus. Pulsantur fores solito  
vehementius, & concitatus ære campono iterum  
atque iterum crepitus exauditur, mira res , dum  
se ad ianuam vnuſ ē nostris agit properum , ( an  
diuino nutu minime dubium ) totum igne ady-  
tum collucere aduertit, accurrit tamen ad ianuam  
quæ propius aberat , inclamat quis roget, muta  
omnia: ibi tum noster non sine Numine rem to-  
tam peragi clare intuens, volat ad sacrarium, iam-  
que latè vagum ac serpens incendium opportunus  
extinguit. Sacra templi supellex ligneo taber-  
naculo , diuite tabula suis coloribus graphicē  
depicta , cœteroque ornatu in altaria facta au-  
stior.

Postulatum à Prorege Franciæ Marescallo ,  
vt quibus diebus Patientem Christum ac Re-  
surgentem Christianus orbis ritè veneratur ,  
ad se vnuſ ē nostris concionabundus acce-  
deret , quod & egregie præstitum concursu  
non exiguo honoratioris ciuitatis. Viri duo  
ē prima nobilitate Principes, ad singulare cer-  
tamen

tamen diem sibi & locum clam alijs assignauerant , sed rem præsentiens è nostris vnns , per summum magistratum , quo minus id sceleris patraretur, impedimento fuit , qui & pòst paulò ad pacem & concordiam discordes reduxit. E Soda-  
litio Beatæ Virginis tres Societati , vnuſ familie Capucinorum nomen dedit. Duodeviginti Hæretica labe misere sordidi, Christo & Ecclesia reconciliati : In his vir primarius cum vnum è noſtris concionantem audiuiſſet , mox spirante Deo adit hominem , fidei formulam propinat manu ſuadefcriptam , addat , detrahatur , immutetur , inuerteretur , ut lubitum fuerit , inſanter obſecrat , Hæresim palam detestatur , animam purgat , sumit Eucharistiam , Catholicum denique magno ſuo , & omnium gaudio profitetur. Imminutum , & ex parte ſublatum Hæreticorum in noſtros homines odium , morumque facilitate , lenitate , modetia hoc tandem euicimus , vt qui ne iniquis quidem antea , iam æquis oculis videamur : ſic ſane vt dirimendis etiam quas habent cum Catholicis con-  
trouerſijs , nos in arbitros aliquando elegerint. Ab aliquot Hæreticorum liberis ſcholæ noſtræ liberè frequentatæ : Is huius commercij fructus extitit , ut vnuſ & alter Hæresim abiurarint , eorum vnuſ nobilis adolescens cum aliquo die in templo noſtro precibus intenderet , tanta ſupernè , aiebat ſuauitate recreatus eſt , nullum ut ſibi euellendis ſcrupulis , quibus ante non parum impugnaretur , adminiculum maius , aut animo in fide ſtabiliendo firmius adiumentum accidere potuisse fateatur.

Diuor-

Diuorsum ab aliquot excusum est foras, quoties licuit, vnde præter cœtera, templa quædam ab hæreticis disturbata, nunc postlimimò restituta, procurata insuper sacra supellestile. Ex Religiosorū numero inducti quatuor, vt per aliquot dies animum pijs commentationibus applicarent.

### COLLEGIVM PETRO- chorense.

**N**VMeravit hic annus discipulos plus minus sexā cenos, è quibus non pauci sese diuersis Religiosorum familijs, vnu etiam nostræ aggregarunt. Parentibus hæreticis oriundi duo, huc studiorum causa missi, vbi dies aliquot scholis se nostris addidissent, peruersis dogmatis amandatis ad Ecclesiæ partes inclinarunt. Terni alij pijs nostrorum alloquijs hæresim exuerunt. Duo pariter cum sacris ritibus cæremonijsque, dubium quo animo, interfuerint, tam bene de nostra religione, quam de sua malè sentire cœperunt, quibus initiji suis exitus præclare respondit; nam postmodum ad veram Ecclesiam Orthodoxæ fidei misericordia se vterque transtulit: & alter quidem eorum totos iam senos & vicenos annos obfirmato animo, quam nunc sequitur fidem acriter impugnarat: alter sublimius & diuinius aliquid meditatus, Dominicanæ familie mox adhæsit.

Vir quidam nobilis nihil antiquius habuit, quam ut coniugem à prima ætate inter Hæreticos malis ritibus educatam ab errore quanto-

Z 5 cyus

cyus vindicaret : accersitus igitur de nostris vnuſ ita commodūm ad mentem mariti rem peregit, vt cum hæresi dissidiij segetem & materiam , quod inter coniuges , sacerorumque ac socrum ex illa religionis diuersitate quot pene diebus pullulabat , iam tandem radicitus amputarit. In eunte Quadragesima , iterumque adulto Septembri per promulgattim Iubilæum , plurimæ totius vita confessiones exceptæ , & quæ perperam factæ essent , non sine fructu integratæ , multis vnde-libet è subvrbanis & agris conscientiæ causa noſtrum in templum conuolantibus.

Hoc ipso anno per ineuntem Autumnum dysenterica lues ſeuiter adeo grassari cœpit , vt in proximum quemque transfundetur , & quem ſemel inuafifet , is durum interitum rarus euaderet , adeo ſane , vt & in vrbe , & in pagis qui ægrotantibus adeffe vellet , reperiſſe neminem ; & ne ipſi quidem familiares & conſanguinei , ſuorum conſpectum , nedum contactum ſuſtinerent , vnde etiam fieret , vt non pauci hominum auxilio & ſolatio penitus destituti , inedia magis , quām ipsa vi morbi extinguerentur , nec desitum tamen à nobis , qui refocillati animis & corporibus bene multi , aut imminenti periculo erepti ſint , aut ab anima probe parati ac muniti , patrium in cœlum certius auolarint : & quæ ſumma Dei bonitas , è nostris hominibus inuentus eſt nemo , qui non bellissimè habuerit , ſi quando aliās , mirante rem totam & diuinam clementiam prædiçante ciuitate.

COL.

COLLEGIVM LEMO-  
uicense.

V N S Caluinum , cuius venenum cum lacte suxerat , palam detestatus , totis decem diebus in pias commentationes apud nos incubuit , quas is demum progressus inse-  
quutus est , vt cum in patriam redijisset , quotquot incidenter Hæretici ad Catholicam fidem , Catho-  
licos vero longe plurimos , ad spiritales exercita-  
tiones & hortaretur & traheret . Idem ibi diru-  
tum , & vetustate collapsum sacellum in suos & familiæ usus proprijs expensis iustaurandum curauit : quin etiam vxorem ad horarias Bea-  
tæ Virginis preces quotdiebus secum recitandas piè pellexit . Præter hunc sacris ijsdem medita-  
tionibus exculti plurimi , in quibus vir nobilis , Religiosi duo , Augustinianæ alter familiæ , dignitate proximus à Priore ; Dominica-  
nus alter Philosophiæ Professor : Parochi duo , quorum unus pro suo munere concionatorem agit ; Carthusiam alter meditatus , necdum ex integro defunctus exercitijs , eò se contulerat , qui & post paulò ab eiusdem Ordinis Patribus redire iussus , antequam sacrae militiæ adscri-  
beretur , quam inchoauerat , piam operam rite peregit .

Eisdem Religiosis auxilijs præmuniti  
Theologiæ auditores duo , & Patronus unus ,  
qui



qui foro & pulpito valere iusso, ad Sacros se ordinis breui sistendus studiose parat. Monialis quædam nobili orta genere, permota exemplo aliarum, quæ id genus exercitijs superioribus annis operam dedissent, non iniussu Antistitiz duorum dierum itinere ad nos contendit, vt & à sordibus animum elueret, & ab ea qua premebatur difficultatum mole se tutam & liberam præstare posset, quod ei vtrumque præclarè cecidit sententia.

Pius quidam & Religiosus concionator, qui spiritualibus exercitijs, prælucentibus nostris, iam ante animum plenè imbuisset, eodem hoc anno sexaginta alijs ex eodem Ordine communicare non ante destitit, quam plerique omnes vtrò agnouerint ac prædicarint, se tum primum sensisse, quid à singulis religiosa professio tandem exigeret. Hæresim abiecere nostrorum ductu duodenii, in quibus Pictones duo, quos, cum pater Caluiniano infectos contagio ad scholas nostras adduceret, præsensit tales futuros, neque id se tamen ægro admodum animo laturum significauit, modo ne coacte fidem Catholicam complexos audiret: & complexi illi quidem libentissime: Parens tamen vbi eos solitò modestiores & studiosiores aduertit, quod res habebat suspicatus, à nostris scholis auocatos Lutetiam Parisiorum amandauit.

Audite tricenos supra milenos in quinque scholis recensuimus. Trecenis quinquagenis nummis aureis comparata domus ædificando templo. Quæ anno sexcentesimo quarto inchoata fuerat

fuerat missio Tragnacensis , superiore intermissa ,  
hoc denuo renouata est ab vno è Patribus , qui  
sacro Quadragesimæ tempore conciones habuit ,  
& fratre vno Cathechista . Curatum vt nouem  
aut decem affabré factæ cruces diuersis extra vr-  
bem compitis , vnde aliæ quadragesimum ante  
annum grassante hæresi deiectæ fuerant , nunc  
demum magno apparatu , concursuque multo-  
rum erigerentur ; & fuere qui eis per maximam  
itineris partem gestandis vltro humeros suppo-  
nerent , magnoque verterent beneficio , illas vel  
extremis digitis attigisse .

Pij libelli pueris ac puellis , qui Christianæ do-  
ctrinæ rudimenta ex memoria recitassent , abun-  
de satis pro suo cuique merito distributi : Alij  
nec sane pauci , profani & impij flamma vindice  
conflagrarunt . Templum vnum vrbi vicinum ,  
quod ab Hæreticis solo æquatum fuerat , nostro-  
rum suasu in pristinum statum splendoremque re-  
stitutum .

## COLLEGIVM CADVR-

cense.

**Q**UAM sub finem anni præteriti cū Reue-  
rendissimo Episcopo primoribusque ciuitatis  
de fundatione collegij exarata syngrapha  
conuentum esset , atque Grammaticæ tres scho-  
læ apertæ , quibus & deinceps quartam subiun-  
ximus , quia tamen quidquid erat rei Reueren-  
dus admodum Pater noster Generalis statum ra-  
tumque nondum fecerat , ideo non Collegij , sed  
Residen-

Residentiæ tantum hæc sibi domus appellationem retinebat : Proximis ergo Liscalibus nouo Collegio nouus Rector , noua classis accessit , vtq; noua forent omnia , nouo splendore admitti Scholastici . Nostrique omnes , quod felicioribus auspicijs diuina subnixi gratia rem aggrederentur , cœlestium rerum contemplatione , & spiritualibus exercitijs nouum in Deum & homines feruorem animi quæsiere , nec suus defuit præclarus operi fructus ; Maximus Iuuenum hinc atque inde ad Scholas nostras , maximus ciuium ad templum nostrum concursus factus , tum verò præsentim cum Reuerendissimus Episcopus ad Indulgenciam Iubilæi statas preces apud nos indixi- set.

Concionibus , quas duo de nostris , alter quidem Quadragesima , Aduentu alter in primario templo habuere , cùm alia multa , tūm illud denique extortum est , vt quibus diebus hominum licentia effusius erumpit , Laruarum abusus , & strepitus ille insolens nimium solens prohibetur : qui tamen nostrorum pius labor nouitate sua multorum animos alte adeo penetrarat , vt etiam è probis & honestis ciuibus rarus esset , cui sub initium satis è sententia probaretur : nihil scius eò demum res abiit , vt qui vel asperius maledictis & scismaticis concionatorem lacesissent , cum inclinante Quadragesima præ pœnitudine lachrymabundi veniam rogarent .

Pomeridianas conciones quot Dominicis & festis diebus in templo nostro continuandas iam tandem

tandem iniens Nouember aperuit. Quanta vis  
insit confessioni, conclamata à Medicis honesta  
matrona fidem faciat, ea propemodum agens  
animam Sacerdotem nostrum acciri iubet, ad-  
uolat ille in re tam trepida, mirum dictu, simul à  
labe expiauit animam, simul à valetudine me-  
lior esse cœpit: cumque iterum in sequente die  
quidquid de cœtero meminisset minutius secre-  
tam in aurem insinuasset, ac sese ipsa confessio-  
nis & Synaxeos in menses singulos voto obstrin-  
xisset, eiusque vir ad Montem Ferratum pere-  
grinationem spoondisset, sanitatem ex integro  
consequita est: ac ne cui dubium, gratumne  
Deo, Virginique votum, supposita affecto capiti  
sacra Virginis ex cera icuncula, somnus pridem  
exul quasi postliminiò reuocatus commodum  
adfuit: & iam voti damnatus vterque ædem  
nostram piè frequentat.

Primarias matronas confitendi methodum  
parum edoctas à nostrorum aditu pudor malus  
diu prohibuerat, sed tandem detectæ & elusæ  
technæ scelerati artificis, magno vtique illarum  
gaudio, maiore fructu. Est & Reis iam vltimo  
mactandis suppicio sua præstata opera, nec sanc-  
irrita, tum eorum animis à peccato curandis, tum  
à iudice supremis iustis procurandis: qua parte  
aliquid pene mirum accidit: Cum enim reo  
adulteratæ monetæ, priusquam ad suspendium  
raperetur, ius sepulturæ, quod quacumque  
prece flagitabat, Sacerdos noster à Iudicibus  
impetrasset, illique Iudices postmodò quod iam

con-

concesserant, cum sua sententia, qua rogo creman-  
dus addicebatur, pugnare perspicerent, vellent-  
que interim quicquid edixissent ratum fore, ca-  
su, an diuinitus factum est, vt eo temporis pti-  
eto quo de furca pendulus deiiciendus è scali  
videbatur, crux, scalæ, reus, carnifex agminatim  
ad terram præcipites ierint, neque tamen vllate-  
nus impetrari potuerit, vt dupondius aliquis &  
discinctus naæta de plebecula patibulum instau-  
raret, vnde coacti sint vltra pomæria raptatum  
hominem infelicem ad arborem strangulare.  
Interea loci Sacerdos noster, ne tantulæ lucis v-  
suram inanem à fructu elabi reo fineret, monet  
seriò, Beati Patris Francisci Xauerij, quem haberet  
cognominem, fidem imploret: quod ipse pro  
illo exiguo vitæ reliquo, si quisquam alias, cu-  
mulate præsttit: nec suus effectus preces elusit:  
cum enim sub primam noctem cremandum es-  
set cadauer, ecce repente de cœlo, quamquam  
ante sereno, imber flamas anteuertere tanta  
vi, vt quod obnixius viuus exorarat, rite huma-  
tus tandem obtulerit.

Imo carcere iacebat aliis ad triremes dam-  
natus, iamque inedia an dolore, furens in  
Deum & cœlites ore sacrilego ringebatur, ac  
nisi obuiam itum esset à custode vigili, sibi ipse  
gladio quæ habebat, vitam eripuisse, cumque  
nullius, ne iudicis quidem rationibus & alloquo  
ad saniores mentem traduci posset, accitur So-  
cietas Sacerdos, quem vt primum proprio se no-  
nomine compellantem audit homo Phanaticus,  
exte-

ex ferociente leone mitior agno redditus statim aduolat in amplexum Patris, à quo sibi nullo negotio persuaderi patitur, perpetui triennij, quo sine Christianis sacris inter Hæreticos versatus esset, noxias omnes confessione abstergeret, quam verò citò animam eluit, tam citò corporis necessitati per honestas matronas abunde satis protisum est. Itum sæpiculè per pagos & oppida, conciones habitæ, aliaque id genus pietatis officia proximis impertita, fructu vtique non pœnitendo: Pauca proferam in exemplum, è quibus cætera conijcias. Sacerdos vñus euocatus à nobilissimâ fœminâ olim heretica, nunc hæreticorum salutem strenuè quaqua viâ promouente, paucis diebus oppidanos magnam partem hæreticos, concionibus suis & colloquijs adeo perstrinxit, vt fluctuare ac circumferri perplexis mentibus plerique omnes cœperint, quinque etiam oborta de cœlo luce ad ecclesiæ portum se receperint. In quibus vñus fluctuatione defunctus, tantam animi pacem ac malaciam, tantumqueliquidæ castæq; lætitiae præ se tulit, vt præ illo gaudio nec sibi à lachrymis téperaret, nec iuspirijs gratias, quas Domino Deo multas & magnas agebat, permiscendi finem faceret. Fuit & alius alio in oppido, qui abiurato Caluino, Ecclesiæ sanctæ aggregatus est. Hæc ad spiritum, quæ restant paucula respiciunt commoda. Argenteę pyxidi in Eucharistiam liberalitate quorundam suffictum pretium, à codicibus aliquot amici quidam instructorem fecere bibliothecam, sacram, profanam supellectilem pari munificentia ampliorem hic annus expertus est.

Aa

RESI-

PROVINCIA  
RESIDENTIA PICTAVIENSIS.

**T**Res tribus in templis per Aduétum & Quadragesimam concionati Sacerdotes, atque unus quidem, è celeberrimo ferè vrbis auditorio tantam omnium ordinum ad se multitudinem & illexit & traxit, vt, ne abesse cogeretur, comuni decreto confessus suos frequens senatus in horam distulerit: fructus indidem is emerit, qui sperari potuerat, seu species malorum morum coercitam licentiam, seu vagæ dubiæque fidei Catholicos firmius stabilitos, seu deinde deuios & errores è diuerticulo in semitam reuocatos. Mitto vel à prima ætate nec sene paucorum expiatos animos, taceo sacra mysteria solito castius ac frequentius usurpata; præterea alia pietatis munera, quæ quiuis facile cuncta conieceret. De multis tamen pauca aliqua. Vir nobilis compactus in casses carcere tenebatur, blandè tamen aberrans, qua valebat gratia & potentia, in libertatem se postmodum assertum iri certa sibi fiducia persuaferat: Sed cum secius ei quam crediderat contingisset, iamque damnatus capitis rapiendus esset ad catastam: destinatur è nostris Sacerdos unus qui hominem expiet, soletur, erigat: præsto est Pater accinctus operi, se in alloquium statim insinuat, nihil sibi tale timentem pedetentim adoritur: serioque monet suæ saluti consultum velit, instare sibi supremam horam, è qua æternitas tota pendeat, quia breui & semel mori oportet, piè sanctèque moriendum. Hic homo subito expergesfactus, nouum vultum nouam mentem induit, nec quicquam questus duriuscule ad eleuandam conscientiā & morte illam

qua

quæ ducat ad vitam fortiter obeundam, magno  
vtique sensu totus incubuit. Excursū in proximas  
vrbes & oppida, quorum incolæ maximam par-  
tem Hæretici .Loduni ( ciuitas est Pictonum Cal-  
uiniana lue non parum infecta ) è nostris vnuis  
tempore Iubilæi conciones habuit, vndē præter  
cœtera Hæretici libri nōn pauci exusti. Quæ fer-  
rent vterum fœminæ, nec edendo partui faciles  
essent, admota Cruce Christi Domini, mox feliciter  
peperere : & verò ad vnam aduocatus chirur-  
gus lanienam miserae applicito ferro intentabat,  
sed cruci illi meliori Cruce itum obtuam. Alte-  
ra, quæ maxima semper difficultate enixa fue-  
rat, ad hanc sacram anchoram cum configisset,  
nullo statim dolore fœtum effudit. Rex Chri-  
stianissimus, vt sèpè aliàs, ita etiamnum in hac no-  
ti Collegij instauratione, qua sit in nostrum Or-  
dinem benevolentia, egregiè sàne patefecit : cum  
enim quidam ex ijs hominibus qui nos pessimè  
oderint, de dimittendis & exturbandis ex vrbe no-  
stris mala consilia Regi suggererent, neque parce-  
rent per summam csluiniam, quamcumque pos-  
sent ignominiae notam nomini Societatis inturere,  
Rex prudens ac pius impudenti mendacio os oc-  
clusit, nostræ se causæ vt potè piæ sanctæque Patro-  
num perpetuum haberi voluit, gratissimum sibi  
fore dixit, si hæc ciuitas Collegium sibi habeat de  
nostris hominibus: vtque alios exéplo suo ad præ-  
clarum facinus incitaret, quingentos aureos quasi  
arrham comparandæ supellectili protinus eroga-  
uit. Quingétos alteros eleemosynæ nomine ciues  
aliqui suffecere. Argétea pyxis Eucharistico ferculo

Aa z affe-

afferuando, sacra alia supellex ex eadem vena, in  
vsum altaris pretiosa vestis abundè concessa. Deni-  
que, vt in pauca contraham, benignam admodum  
ciuitatem experti sumus.

- DOMVS PROBATIONIS TOLO.  
fana.

Hic rectè omnia, quà mente, quà corpore: nñ  
tamen aut singulate, aut nouum quod  
iure suo veniat in Annales, annus  
peperit.



ANNVÆ